

januarii in illustrem, & magnificum Dominum Marchionem Montisferrati per egregium legum doctorem D. Jacobinum de Bocaciis nomine illustris, & magnifici Domini Regis Januensis Gubernatoris, & communis Januæ ex una parte, & per spectabilem, & egregium militem D. Conradum ex Marchionibus de Carreto nomine illustrium, & magnificorum Dominorum Comitis Papiæ, & Facini Canis, tamquam conservatoris treguæ (1), & de insuper omnibus differentiis, & dibattis exortis a tempore confectæ treguæ (2) inter ipsas partes, etiam de jure, de facto, & de accordio, & potissime super quoddam debacto inter ipsas partes vigente de captione Petrini Guaschi, & in dicto compromisso inter alia extitit actum, & conventum, quod dictus Dominus Facinus, qui habet detentum dictum Petrinum Guascom, præstita fidejussione ipsius Petrini nomine de decem millibus florenis, quod dictus Petrinus non recedet, nec fugam accipiet de loco, seu a loco ubi posuerit, seu poni fecerit eum dictus Dominus Marchio sub pœna florenorum auri decem millium applicandorum dicto Domino Facino, teneatur tunc ipsum Petrinum in dicti Domini Marchionis compromissali potestate, & manibus consignare, prout, & sicut in dicto instrumento dicti compromissi continetur confecto per Serafinum de S. Maria de Nicia Notarium cancellarium ejusdem Domini Marchionis. Idcirco nobilis vir Christopharus Guascom tam pro se, & communiter pro ipsius Petrini, & ipsius Petrini nomine versus me Notarium infra scriptum promisit, quod ipse Petrinus dum erit, ut supra in manibus, & potestate præfati Domini Marchionis expressa licentia non recedet de loco, seu a loco, in quo eum posuerit, nec fugam accipiet; imo ibidem stabit, & permanebit, donec per ipsum Dominum Marchionem arbitratorem fuerit sententiatum intra tempus dicti compromissi in omnibus, & per omnia, prout in dicto compromisso continetur, & hoc sub pœna florinorum decem millium applicandorum ipsi Domino Facino Et pro eo, & nomine dicti Petrini, & pro observatione prædictorum intercesserunt, & fidejusserunt versus me Notarium infra scriptum solemniter stipulantem, & recipientem nomine dicti Domini Facini, & quorumcumque aliorum, quorum interest, & interesse potest in futurum, usque ad dictam sumam florinorum auri decem milium Baptista Lomellinus pro florenis mille, Nicolaus Lomellinus pro florenis auri quingentis, Angelus Coba pro florenis auri quingentis, Carolus Lomellinus pro florenis auri quingentis, Laurentius Clavarius pro florenis auri quingentis, Joannes de Nainono pro florenis auri quingentis, Mattheus Calvus pro florenis auri mille, Philippus de Grimaldi pro florenis auri mille, Mattheus Lomellinus pro florenis auri quingentis, Joannes de Andera pro florenis auri quingentis, Simon de Auria pro florenis auri quingentis, Ciprianus Spinola pro florenis auri quingentis, Percival de Grimaldis pro florenis auri mille, Philippus de Maximis pro florenis auri quingentis, & Cosimas Tarigus pro florenis auri mille: & hoc sub renunciatione juris de principali, & cujuslibet alterius juris, jubentes de prædictis ad

roborem præmissorum confici publicum instrumentum, etiam ad dictamen sapientis si fuerit opportunum. Actum Januæ in platea Ban. anno Dominicæ Nativitatis millesimo quadringentesimo quinto, indictione decima secunda, die tertia februarii, præsentibus testibus ad hoc vocatis, & rogatis Petro de Bracellis, quondam Joannis, & Rafaele de Primis quondam Jacobi ambobus Januæ.

Ego Benedictus de Andoria Imperiali auctoritate Notarius prædicti omnibus interfui, & rogatus scripsi.

(1) Teugia. (2) Terugia.

Electio Priorissæ monasterii S. Georgii de Canellis confirmata a Præposito monasterii sancti Baudolini Alexandria.

M C C C C X I V.

363

In nomine Domini amen. Anno Nativit. ejusdem M C C C C X I V., indictione VII., die XVI. mensis martii, hora VIII. in monasterio S. Georgii de Canellis, videlicet in Ecclesia dicti monasterii siti in territorio Canellarum non multum longe ab ipso loco ultra Berbarum immediate subjecti dominabus Abbatissæ monialibus, & capitulo monasterii sanctæ Mariæ de Angelis de Alexandria alias soliti vocari monasterii S. Martini de Foro, seu de Fò, quoad nominationem, electionem, & præsentationem Priorissæ dicti monasterii S. Georgii, & quo ad confirmationem ipsius Priorissæ Præposito monasterii sanctæ Mariæ de Fò, seu de Foro de Alexandria, vulgariter nominati S. Baulini, seu Baudolini ordinis fratrum Humiliatorum, præsentibus me Notario, & testibus infra scriptis ven., ac honestus religiosus vir D. F. Baurinus de Balianis de Cassale Balianorum Dei gratia Præpositus Ecclesiæ monasterii prædicti S. Baurini de Alexandria, ad quem præpositum Ecclesiæ, & monasterii prædicti S. Baurini, & prædecessores ejus confirmatio Priorissæ monasterii prædicti S. Georgii spectat, & spectavit antiquitus ac pertinet, & pertinuit diu de jure, & consuetudine antiqua, & in ejus possessione confirmandi Priorissas in ipso monasterio S. Georgii de Canellis Domini fuerunt, & sunt ipsi Præpositi, & ipse Præpositus, visa prius per ipsum D. F. Baurinum Præpositum, ut supra quadam electione, & nominatione per Dominas sororem Clarinam de Caudalariis de Tardona Dei gratia Abbatissam monasterii S. Mariæ de Angelis, vocati olim ut supra, de consensu ipsius Domini Præpositi, & de consensu sororum, & monialium, & totius ipsius monasterii capituli, & præsentatione facta eidem Domino Præposito de D. Biatrinxina de Malabaylis moniali professa monasterii S. Anastasii de Ast, electa in Prioram, seu Priorissam monasterii prædicti S. Georgii de Canellis subjecti, ut supra vacantis de præsentem Priora per mortem quondam D. Lombardæ de Agnani ultimæ, & immediatæ ipsius monasterii S. Georgii Priorissæ, & visa petitione, ac rogatione eidem Domino Præposito facta per ipsas Dominas Abbatissam, & moniales suas, seu sorores, & capitulum ipsius monasterii S. Mariæ, de quibus omnibus constat per publicum instrumentum fieri jussum